



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118294

§. 223. Concilium Senas translatum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

permisit, cui adstipulatus est Philibertus, **Sæcul. XV.**
 Episcopus Ambianensis pro Natione Gal- **A. C. 1423.**
 lica, quæ sex Deputatos miserat; Pro
 Natione Anglica, quæ ceteris numero ma-
 jor erat, Richardus Lincolniensis Epis-
 copus in eandem abiit sententiam, & se
 jam pro nunc locum, quem legati desi-
 gnaturi essent, acceptare declaravit. Nec
 Hispanorum, nec Itolorum Deputati, ex-
 ceptis Papæ Legatis, aderant. Prævia
 hac deliberatione, sole jamjam inclinante,
 Congregatio remissa est in crastinam
 diem, ubi mane, convenientibus ceteris,
 Episcopus Posnaniensis peracta re divina
 in absentia Archiepiscopi Spoletani præ-
 sedit, & ex suggestu scriptum legit se-
 quentis tenoris.

§. CCXXIII.

Concilium Senas translatum.

Sacrosancta Synodus Generalis Papiensis in Labbe Conc.
Spiritu S. legitime congregata, caussa pe- **to. 12. p. 356.**
stis inibi notorie grassantis ipsam civita-
tem Papiensem mutat, & loco ipsius urbem
Senarum in natione Italica consistentem,
tanquam habilem & locum sufficientem pro
continuatione ejusdem Concilii tenore præ-
sentium eligit, atque deputat. Lecto hoc
decreto, Petrus Archiepiscopus Creten-
sis pro Italica Natione respondit: Placet,
quamvis hæc Natio, cum hoc scriptum

Sæcul. XV. omnino ignoraret, consentiendi potestatem Archiepiscopo non tribuisset. Idem A.C. 1423. etiam pro Natione Germana Nicolaus de Susato Theologiæ Doctor, & Richardus Lincolniensis pro Anglica respondebant. Quid egerit natio Gallica, ex Synodi actis non liquet; in his enim duntaxat indicatur, Gallos schedam a Posnaniensi Episcopo lectam, minime perspectam habuisse. Postquam vero plures Prælati, Doctores, & Principum Deputati Senis advenerant, habitæ sunt quædam Sessiones die octava Novembris: aliorum tamen Scriptorum fide discimus, eas incæpisse vigesima secunda Augusti; Ast cum inter Patres suborirentur jurgia, & Pontifex, qui Mense Septembri Senas se venturum promiserat, ob pestilentiam ibi grassantem, certo certius autem ob metum Alphonfi Arragonum Regis non compareret, auctoritate Pontificis præsentibus Prælatibus ad sua redeundi facultas data fuit; extra dubium tamen est, Synodum Senis cæptam, ibidem, atque ab iisdem Prælatibus, aliisque ex post advenientibus continuatam fuisse.

*Marian. l. 20
c. 14.*

§. CCXXIV.

Decreta circa fidem, & contra Wiclefistas ac Hussitas.

Ceterum Patres reformationi Ecclesiæ
ac